Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26144
Copyright: Admont, Benediktinerstift

perficitur. Propterea inquit gloriabor in infirmitatibus meis. in tribulationibus. in necessitatibus. in angustiis. in plagis in carceribus ut inhabitet in me virtus Christi. Sed etiam Christum audi dicentem. In mundo inquit tribulationem habebitis.

Recogitate inquit talem contradictionem cum a peccatoribus esse passum. ne fatigemini animis vestris dissoluti. Si enim patrum quoque passiones erigunt nos. quanto magis nobis alacritatem afferunt domini passiones. Quid vos horum estis operati. Et praetermittens omnem contradictionem totum significavit addendum. etiam tale hoc est plagas quas accipiebat in capite. irrisiones iniurias improperia illusiones. omnia nomine contradictionis intimavit. et non illa tantum. sed et alia que circa vitam fiunt. et passiones Christi. et passiones apostolorum. Sic enim sciebat hanc vitam meliorem esse virtutem. ut etiam ipse qui ea opus non habebat per eam pergeret. intantum norat tribulationem educibilem nobis esse. et magis causam esse quietis. Audi enim ipsum dicentem. Nisi enim quis tulerit crucem suam et venerit post me. non est me dignus. Si discipulus es inquit magistrum imitare. hoc est enim discipuli. Si vero ipse quidem per tribulationes processit. tu autem per requiem vis ire. non eandem viam vis pergere. quam ille processit. sed aliam. Quomodo ergo requiris. Nam sequens quomodo eris discipulus. si non sectaris magistri vestigia. Hoc etiam paulus dixit. Nos infirmi. vos autem fortes. nos ignobiles vos autem nobiles. Et quomodo hoc habet inquit rationem. Si contraria emulamini. Et vos quidem estis